

per nomen ei conveniat, & ita sit in genere substantiæ: nam substantia est ens per se, quod Deo constat convenire, ex quo probatum est ipsum non esse accidens.

Sed ad hoc dicendum est ex dictis cap. xxiii. quod in diffinitione substantiæ non est ens per se. Ex hoc enim quod dicitur ens, non posset esse genus, quia jam probatum est, quod ens non habet rationem generis. Similiter nec ex hoc quod dicitur per se, quia hoc non videtur importare nisi negationem tantum: dicitur enim ens per se ex hoc quod non est in alio, quod est negatio pura, quæ nec potest naturam, vel rationem generis constituere, quia sic genus non diceret quod est res, sed quod non est. Oportet igitur quod ratio substantiæ intelligatur hoc modo, quod substantia sit res cui conveniat esse non in subiecto, nomen autem rei a quidditate imponitur, sicut nomen entis ab esse, & sic in ratione substantiæ intelligatur quod habeat quidditatem cui conveniat esse non in alio. Hoc autem Deo non convenit, nam non habet quidditatem nisi suam esse. Unde relinquatur quod nullo modo est in genere substantiæ, & sic nec in aliquo genere, cum ostensum sit, ipsum non esse in genere accidentis.

CAPUT XXVI.

Quod Deus non est esse formale omnium.

EX his confutatur quorundam error, qui dixerunt, Deum nihil aliud esse quam esse formale uniuscujusque rei.

1. Nam esse hoc dividitur per esse substantiæ, & esse accidentis. Divinum autem esse non est esse substantiæ, neque esse accidentis, ut probatum est. Impossibile est igitur Deum esse illud esse quo formaliter unaquæque res est.

2. Item. Res ad invicem non distinguuntur secundum quod esse habent, quia in hoc omnia conveniunt. Si ergo res differunt ad invicem, oportet quod vel ipsum esse specificetur per aliquas differentias additas, ita quod res differant per hoc quod ipsum esse diversis naturis secundum speciem convenit. Sed primum horum est impossibile, quia enti non potest fieri aliqua additio secundum modum quo differentia additur generi, ut dictum est cap. xxv. Relinquitur ergo quod res propter hoc differant quod habent diversis naturas, quibus acquirunt esse diversi modo. Esse autem divinum non advenit alii naturæ, sed est ipsa natura, seu essentia divina, ut ostensum est cap. xxiii. Si igitur esse divinum esset formale esse omnium, oporteret omnia simpliciter esse unum.

3. Amplius. Principium naturaliter prius est eo cuius est principium. Esse autem in quibusdam rebus habet aliquid quasi principium: forma enim dicitur esse principium essendi, & similiter agens quod facit aliqua esse actu. Si igitur esse divinum sit esse uniuscujusque rei, sequetur quod Deus, qui est suum esse, habeat aliquam causam; & sic non erit necesse esse per se, cuius contrarium supra cap. xv. ostensum est.

4. Adhuc. Quod est commune multis, non est aliquid præter multa nisi sola ratione; sicut animal non est aliud præter Sortem, & Platonem, & alia animalia, nisi intellectum, qui apprehendit formam animalis expoliata ab omnibus individuantibus, & specificantibus: homo enim est quod vere est animal;

alias sequeretur quod in Sorte, & Platone essent plura animalia, animal scilicet ipsum commune, & homo communis, & ipse Plato. Multo ergo minus & ipsum esse commune est aliquid præter omnes res existentes, nisi in intellectu solum. Si igitur Deus sit commune esse, Deus non erit aliqua res existens, nisi quæ sit in intellectu tantum. Ostensum autem est supra cap. xiii. Deum esse aliquid non solum in intellectu, sed in rerum natura. Non est igitur Deus ipsum esse commune omnium.

5. Item. Generatio per se loquendo est via in esse, & corruptio via in non esse: non enim generationis terminus est forma, & corruptionis privatio, nisi quia forma facit esse, & privatio non esse: dato enim quod aliqua forma non faceret esse, non diceretur generari id quod talem formam acceperet. Si igitur Deus sit omnium rerum esse formale, sequetur quod sit terminus generationis; quod est falsum, cum ipse sit æternus, ut supra cap. xv. ostensum est.

6. Præterea. Sequitur quod esse cuiuslibet rei fuerit ab æterno. Non igitur potest esse generatio, vel corruptio: si enim sit generatio, oportet quod esse præexistens alicui rei de novo acquiratur. Aut ergo alicui prius existenti, aut nullo modo prius existenti. Si primo modo, cum unum sit esse omnium existentium, secundum positionem prædictam, sequitur quod res quæ generari dicitur, non accipiat novum esse, sed novum modum essendi; quod non facit generationem, sed alterationem. Si autem nullo modo prius existeret, sequitur quod fiat ex nihilo; quod est contra rationem generationis. Igitur hæc positio omnino generationem, & corruptionem destruit; & ideo patet eam esse impossibilem.

Hunc etiam errorem sacra doctrina repellit, dum confitetur Deum excelsum, & elevatum, ut dicitur Isai. vi. & eum super omnia esse, ut Rom. ix. habetur. Si enim est esse omnium, tunc est aliquid omnium, non autem super omnia.

Hi etiam errantes eadem sententia propelluntur qua & idolatræ, qui incommunicabile nomen, scilicet Dei, lignis, & lapidibus imposuerunt, ut habetur Sap. xiv. 21. Si enim Deus est esse omnium, non magis dicitur vere, Lapis est ens, quam Lapis est Deus.

Hic autem error quatuor sunt quæ videntur præstitisse fomentum.

Primum est quarundam auctoritatum intellectus perversus. Invenitur enim a Dionysio dictum iv. cap. ccel. Hierarchiæ: *Esse omnium est supersubstantialis Divinitas*. Ex quo intelligere voluerunt, ipsum esse formale omnium rerum Deum esse, non considerantes hunc intellectum ipsis verbis consonum esse non posse. Nam si Divinitas est omnium esse formale, non erit super omnia, sed intra omnia, immo aliquid omnium. Cum enim Divinitatem super omnia dixit, ostendit secundum naturam suam ab omnibus distinctum, & super omnia collocatum. Ex hoc vero quod dixit, quod Divinitas est esse omnium, ostendit quod a Deo in omnibus quædam divini esse similitudo reperitur. Hunc etiam eorum perversum intellectum alibi apertius excludens, dixit in 11. cap. de divinis Nominibus, quod *ipsius Dei neque tactus, neque aliqua commixtio est ad res alias, sicut est puncti ad lineam, vel figuræ sigilli ad ceram.*

Secundum quod eos in hunc errorem promovit, est rationis defectus. Quia enim id quod commune est, per additionem specificatur, vel individuatur, æstimaverunt, divinum esse, cui nulla fit additio, non esse aliquid proprium, sed esse commune omnium; non considerantes quod id quod commune est

est vel universale, sine additione esse non potest, sed sine additione consideratur: non enim animal potest esse absque rationali, vel irrationali differentia, quamvis sine his differentis cogitur: licet etiam cogitur universale absque additione, non tamen absque receptibilitate additionis est: nam si animali nulla differentia addi posset, genus non esset: & similiter est de omnibus aliis nominibus. Divinum autem esse est absque additione, non solum cogitatione, sed etiam in rerum natura; & non solum absque additione, sed etiam absque receptibilitate additionis. Unde ex hoc ipso quod additionem non recipit, nec recipere potest, magis concludi potest quod Deus non sit esse commune, sed proprium. Etenim ex hoc ipso sum esse ab omnibus aliis distinguitur, quia nihil ei addi potest. Unde Commentator in Lib. de causis, prop. ix. circa fin. dicit quod causa prima ex ipsa puritate suæ bonitatis ab aliis distinguitur, & quodammodo individuatur.

Tertium quod eos in hunc errorem induxit, est divinæ simpliciter consideratio. Quia enim Deus infinite simpliciter est, æstimaverunt, illud quod in ultimo resolutionis invenitur eorum quæ sunt in nobis, Deum esse quasi simplicissimum: non enim est in infinitum procedere in compositione eorum quæ sunt in nobis. In hoc etiam eorum deficit ratio, dum non attenderunt id quod in nobis simplicissimum invenitur, non tam rem completam, quam rei aliquid esse; Deo autem simplicitas attribuitur sicut rei alicui perfecte subsistenti.

Quartum etiam quod eos ad hoc inducere potuit, est modus loquendi, quo dicimus Deum in omnibus rebus esse; non intelligentes, quod non sic est in rebus quasi aliquid rei, sed sicut rei causa, quæ nullo modo suo effectui deest. Non enim similiter esse dicimus formam in corpore, & nauam in navi.

CAPUT XXVII.

Quod Deus non sit forma alicujus corporis.

Ostenso igitur, quod Deus non sit esse omnium, similiter ostendi potest, quod Deus non sit alicujus rei forma.

1. Nam divinum esse non potest esse alicujus rei quidditas, quæ non sit ipsum esse, ut ostensum est cap. xxiii. quod autem est ipsum esse divinum, non est aliud quam Deus. Impossibile est igitur Deum esse alicujus alterius formam.

2. Amplius. Forma corporis non est ipsum esse, sed essendi principium. Deus autem est ipsum esse. Non ergo est Deus forma corporis.

3. Item. Ex unione formæ & materiæ resultat aliquid compositum, quod est totum respectu materiæ & formæ. Partes autem sunt in potentia respectu totius; in Deo autem nulla est potentialitas. Impossibile est igitur Deum esse formam unitam alicui rei.

4. Adhuc. Quod per se habet esse, nobilius est eo quod habet esse in alio. Omnis autem forma alicujus corporis habet esse in alio. Quum igitur Deus sit ens nobilissimum, quasi prius essendi causa, non potest esse alicujus forma.

5. Præterea. Hoc idem potest ostendi ex æternitate motus sic. Si Deus est forma alicujus mobilis, cum ipse sit primum movens compositum, erit movens seipsum. Sed movens seipsum potest moveri, & non movetur. Utrumque igitur in ipso est. Quod autem est hujusmodi, non habet motus indeficientiam ex se ipso. Oportet igitur supra movens se ipsum ponere

aliud primum movens, quod largiatur perpetuiter motus; & sic Deus, qui est primum movens, non est forma corporis moventis seipsum. Est autem hic processus utilis ponentibus æternitatem motus; quo non posito, eadem conclusio haberi potest ex regularitate motus cæli. Sicut enim movens se ipsum potest quiescere, & moveri, ita potest velocius, & tardius moveri. Necessitas igitur uniformitatis motus cæli dependet ex aliquo principio superiori omnino immobili, non quod est pars corporis moventis se ipsum, quasi aliqua forma ejus.

Hic autem veritati concordat Scriptura: dicitur enim in Psalm. viii. 2. *Elevata est magnificentia tua, super cælos, Deus; Et Job 11. 8. Excelsior cælo est, & quid facies? ... Longior terra mensura ejus, & latior mari.*

Sic igitur Gentilium error evacuatur, qui dicebant, Deum esse animam cæli, vel etiam animam totius mundi. Et ex hoc errore idolatriam defendebant, dicentes, totum mundum esse Deum, non ratione corporis, sed ratione animæ. Quo supposito, sequi opinabantur, quod mundo, & partibus ejus non indebite divinus cultus exhibebatur. Commentator etiam dicit in Metaph. Lib. XII. cap. xxi. quod hic locus fuit lapsus sapientum gentis Zabiorum, id est idolatarum, quia scilicet posuerunt Deum esse formam cæli.

CAPUT XXVIII.

Quod Deus est universaliter perfectus.

Licet autem ea quæ sunt, & vivunt, perfectiora sint quam ea quæ tantum sunt; Deus tamen, qui non est aliud quam suum esse, est universaliter ens perfectum. Et dico universaliter perfectum, cui non deest alicujus generis nobilitas.

1. Omnis enim nobilitas cuiuscumque rei est sibi secundum suum esse: nulla enim nobilitas esset homini ex sua sapientia, nisi per eam sapiens esset, & sic de aliis. Sic ergo secundum modum quo res habet esse, est suus modus in nobilitate: nam res, secundum quod suum esse contrahitur ad aliquem specialem modum nobilitatis majorem, vel minorem; dicitur esse secundum hoc nobilior, vel minus nobilis.

Igitur si aliquid est cui competit tota virtus essendi, et nulla virtus nobilitatis deesse potest, quæ alicui rei conveniat. Sed rei quæ est suum esse, competit esse secundum totam essendi potestatem, sicut si esset aliqua albedo separata, nihil ei de virtute albedinis deesse posset: nam alicui albo aliquid de virtute albedinis deesse potest ex defectu recipientis albedinem, qui eam secundum modum suum recipit, & fortasse non secundum totum posse albedinis.

Deus igitur, qui est totum suum esse, ut supra probatum est, habet esse secundum totam virtutem ipsius esse: non potest ergo carere aliqua nobilitate quæ alicui rei conveniat. Sicut autem omnis nobilitas, & perfectio inest rei, secundum quod est; ita omnis defectus inest ei, secundum quod alicuius non est. Deus autem sicut habet esse totaliter, ita ab eo totaliter absistit non esse; quia per modum per quem habet aliquid esse, deficit a non esse. A Deo ergo omnis defectus absistit: est igitur universaliter perfectus. Ita vero quæ tantum sunt, imperfecta sunt, non propter imperfectionem ipsius esse absoluti (non enim ipsa habent esse secundum totum suum posse) sed participant esse per quemdam particularem modum, & imperfectissimum.

2. Item. Omne imperfectum necesse est ab aliquo perfecto procedere, semen enim est ab animali, vel a planta. Igitur primum ens debet esse perfectissimum. Ostensum autem est Deum esse primum ens. Igitur est perfectissimus.

3. Amplius. Unumquodque perfectum est, in quantum est actu; imperfectum autem, secundum quod est in potentia, cum privatione actus. Id igitur quod nullo modo est in potentia, sed est actus purus, oportet perfectissimum esse. Tale autem est Deus. Igitur est perfectissimum.

4. Adhuc. Nihil agit nisi secundum quod est in actu. Actio igitur consequitur modum actus in agente: impossibile est igitur effectum qui per actionem educitur, esse in nobiliori actu quam sit actus agentis; possibile est tamen actum effectus imperfectiorem esse quam sit actus causae agentis, eo quod actio potest debilitari ex parte eius in quod terminatur. In genere autem causae efficientis fit reductio ad unam causam, quae Deus dicitur, ut ex dictis patet, a quo sunt omnes res, ut in sequentibus ostendetur. Oportet igitur quidquid actu est in quacunque re alia, inveniri in Deo multo eminentius quam sit in re illa, non autem e converso. Est igitur Deus perfectissimus.

5. Item. In unoquoque genere est aliquid perfectissimum in genere illo, ad quod omnia quae sunt illius generis, mensurantur: quia ex eo unumquodque ostenditur magis & minus esse perfectum quod ad mensuram sui generis magis & minus appropinquat; sicut album dicitur esse magis & minus coloratum, & virtuosus inter omnes homines. Id autem quod est mensura omnium entium, non potest esse aliud quam Deus, qui est suum esse. Ipsi igitur nulla deest perfectionum quae aliquibus rebus conveniat; alias non esset omnium communis mensura.

Hinc est quod quum quaereret Moyses divinam videre faciem, seu gloriam, responsum est ei a Domino: *Ego ostendam tibi omne bonum*, ut habetur Exodi xxxiij. 19. per hoc dans intelligere in se omnis bonitatis plenitudinem esse. Dionysius etiam in vi. cap. de divinis Nominibus dicit: *Deus non quodam modo est existens, sed simpliciter, & incircumscriptive totum esse in se ipso accipit, & praecipit.*

Sciendum tamen, quod perfectio Deo convenienter attribui non potest, si nominis significatio quantum ad sui originem attendatur: quod enim factum non est, nec perfectum dici posse videtur; sed quia omne quod fit, de potentia deductum est in actum, & de non esse in esse, quando factum est, tunc recte perfectum esse dicitur, quasi totaliter factum, quando potentia totaliter est ad actum reducta, ut nihil per non esse retineat, sed habeat esse completum. Per quamdam autem nominis extensionem perfectum dicitur non solum quod fiendo pervenit ad actum completum; sed id etiam quod est in actu completo absque omni factione; & sic Deum perfectum esse dicimus, secundum illud Math. v. 48. *Estote perfecti, sicut & Pater vester caelestis perfectus est.*

CAPUT XXIX.

Quomodo in rebus similitudo ad Deum inveniri potest.

1. Part. quaest. iv. art. 3.

EX hoc autem quomodo in rebus possit similitudo ad Deum inveniri, vel non possit, considerari potest.

Effectus enim a suis causis deficientes non conveniunt cum eis in nomine, & ratione, necesse est tamen aliquam inter ea similitudinem inveniri: de natura enim agentis est ut agens sibi simile agat, quum unumquodque agat secundum quod actu est: unde forma effectus in causa excedente invenitur quidem aequaliter, sed secundum alium modum & aliam rationem: ratione cuius, causa aequivoca dicitur. Sol enim in corporibus inferioribus calorem causat agendo secundum quod actu est; unde oportet quod calor a Sole generatus aliqualem similitudinem obtineat ad virtutem Solis activam, per quam calor in istis inferioribus causatur, ratione cuius Sol calidus dicitur, quamvis non una ratione; & sic Sol omnibus illis similis aequaliter dicitur in quibus suos effectus efficaciter inducit; a quibus tamen rursus omnibus dissimilis est, in quantum huiusmodi effectus non eodem modo possident calorem huiusmodi quo in Sole invenitur. Ita etiam & Deus omnes perfectiones rebus tribuit, ac per hoc eum omnibus similitudinem habet, & dissimilitudinem simul.

Et inde est quod sacra Scriptura aliquando similitudinem inter Deum & creaturam commemorat, ut quum dicitur Genesius i. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Aliquando vero similitudo negatur, secundum illud Isai. xl. 18. *Cui ergo simile feceris Deum, aut quam imaginem poneris ei? & in Ps. lxxxvii. 1. Deus, qui similis erit tibi? Ne taceas, neque compescaris, Deus.*

Hinc autem rationi Dionysius concordat, qui ix. capit. de divinis Nominibus dicit: *Eadem similia sunt Deo, & dissimilia. Similia quidem secundum imitationem eius, qui non est perfecte imitabilis, qualem in eis esse contingit; dissimilia autem secundum quod causata habent minus suis causis.* Secundum tamen hanc similitudinem convenientius dicitur Deo creatura similis quam e converso. Simile enim alicui dicitur quod eius possidet qualitatem, vel formam. Quia igitur id quod in Deo perfecte est, in rebus aliis per quamdam deficientem participationem invenitur, illud secundum quod similitudo attenditur, Dei quidem simpliciter est, non autem creaturae; & sic creatura habet quod Dei est, unde & Deo recte similis dicitur. Non autem sic potest dici Deum habere quod creatura est: unde nec convenienter dicitur, Deum creaturae similem esse, sicut nec hominem dicimus suae imagini fore similem, cui ramentum sua imago recte similis enuntiatur. Multo igitur etiam minus proprie dicitur, quod Deus creaturae assimiletur. Nam assimilatio morum ad similitudinem dicitur; & sic competit ei quod ab alio accipit, unde simile ei sit, creatura autem accipit a Deo, unde ei sit similis, non autem e converso. Non igitur Deus creaturae assimilatur, sed magis e converso.

CAPUT XXX.

Quae nomina de Deo praedicari possint.

EX his etiam considerari potest, quid de Deo dici, vel non dici possit, quidve de eo tantum dicatur, quid etiam de Deo simul, & aliis rebus.

Quia enim omnem perfectionem creaturae est in Deo invenire, sed per alium modum eminentiorem, quaecumque nomina absolute perfectionem absque defectu designant, de Deo praedicantur, & aliis rebus, sicut est bonitas, sapientia, esse, & alia huiusmodi; quaecumque vero nomina huiusmodi perfectionem designant cum modo proprio creaturis, de Deo dici non possunt nisi per similitudinem, & me-

taphoram, per quam quae sunt unius rei, alteri solent adaptari; sicut aliquis homo dicitur lapis, propter duritiam intellectus. Huiusmodi autem sunt omnia nomina imposita ad designandam speciem rei creatae, sicut homo, & lapis: nam cuilibet speciei debetur proprius modus perfectionis, & esse. Similiter etiam quaecumque nomina proprietates rerum designant quae ex propriis principiis specierum causantur; de Deo dici non possunt nisi metaphorice: quae vero huiusmodi perfectiones exprimunt cum supereminenti modo, quo Deo conveniunt, de solo Deo dicuntur, sicut summum bonum, primum ens, & alia huiusmodi. Dico autem aliqua praedictorum nominum perfectionem absque defectu importare quantum ad illud ad quod significandum nomen fuit impositum; quantum vero ad modum significandi, omne nomen cum defectu est: nam nomine res exprimitur eo modo quo intellectu concipitur. Intellectus autem noster ex sensibilibus cognoscendi initium sumens, illum modo non transcendit quem in rebus sensibilibus invenit, in quibus aliud est forma, & habens formam, propter formae & materiae compositionem; forma vero in his rebus invenitur quidem simplex, sed imperfecta, utpote non subsistens, habens vero formam invenitur quidem subsistens, sed non simplex, immo concretionem habens: unde intellectus noster quicquid significat ut subsistens, significat in concretione; quod vero ut simplex significat, non ut quod est, sed ut quod est; & sic in omni nomine a nobis dicto quantum ad modum significandi, imperfectio invenitur, quae Deo non competit; quamvis res significata aliquo modo eminenti, Deo conveniat, ut patet in nomine bonitatis, & boni. Nam bonitas significat ut non subsistens, bonum autem ut concretum; & quantum ad hoc nullum nomen Deo convenienter aplat; sed solum quantum ad id ad quod significandum nomen imponitur. Possunt igitur, ut Dionysius docet (1. & v. c. de div. Nomin.) huiusmodi nomina & affirmari de Deo, & negari: affirmari quidem propter nominis rationem; negari vero propter significandi modum. Modus autem supereminentiae quo in Deo dictae perfectiones conveniunt per nomina a nobis imposita, significari non possunt nisi vel per negationem, sicut quum dicimus Deum aeternum, vel infinitum; vel etiam per relationem ipsius ad alia, ut quum dicitur prima causa, vel summum bonum: non enim de Deo capere possumus quid est, sed quid non est, & qualiter alia se habeant ad ipsum; ut ex supradictis patet.

CAPUT XXXI.

Quod divina perfectio, & pluralitas nominum divinatorum divinae simplicitati non repugnant.

EX praedictis etiam videri potest, quod divina perfectio, & plura nomina dicta de Deo, ipsius simplicitati non repugnant. Sic enim omnes perfectiones in rebus aliis inventas Deo attribui diximus, sicut effectus in suis causis aequivocis conveniuntur: qui quidem effectus in suis causis sunt virtutes, ut calor in Sole; virtus autem huiusmodi, nisi aliter qualiter esset de genere caloris, Sol per eum agens, non simile sibi generaret: ex hoc igitur Sol calidus dicitur, & non solum quia calorem facit, sed quia virtus per quam hoc facit, est aliquid conforme calori. Per eandem autem virtutem per quam Sol facit calorem, facit & multos alios effectus in inferioribus corporibus, utpote siccitatem. Et sicut calor, & siccitas, quae in igne sunt qualitates diversae, Soli attribuuntur per unam virtutem; ita & omnium perfectiones, quae rebus aliis secundum diversas formas conveniunt, Deo secundum unam eius virtutem attribui est necesse: quae quidem virtus non est aliud a sua essentia, quum ei nihil accedere possit, ut probatum est (cap. xxxii.) Sic igitur sapiens Deus dicitur, non solum secundum hoc quod sapientiam efficit, sed quia secundum hoc quod sapientem sumus, virtutem eius, qua sapientes nos facit, aliquatenus imitatur, non autem dicitur lapis, quamvis lapides fecerit, quia in nomine lapidis intelligitur modus essendi determinatus, secundum quem lapis a Deo distinguitur: imitatur autem lapis Deum ut causam secundum esse, secundum bonitatem, & alia huiusmodi, sicut & aliae creaturae. Huiusmodi autem simile inveniri potest in potentis cognoscitivis, & in virtutibus operativis humanis. Intellectus enim unica virtute cognoscit omnia quae pars sensitiva diversis potentis apprehendit, & etiam alia multa: intellectus etiam quanto fuerit altior, tanto aliquo uno plura cognoscere potest, ad quae cognoscenda intellectus inferior non pertingit nisi per multa. Potestas autem regia ad omnia illa extenditur ad quae diversae sub ipsa potestates ordinem habent. Sic igitur & Deus per unum simplex suum esse omnimodam perfectionem possidet, quam res aliae per quaedam diversa consequuntur, immo multo maiorem.

Ex quo patet necessitas plurium nominum de Deo dictorum: quia enim eum non possumus cognoscere naturaliter, nisi ex effectibus deveniendo in ipsum, oportet quod nomina quibus perfectionem ipsius significamus, diversa sint, sicut & perfectiones in rebus conveniuntur diversae. Si autem ipsam essentiam prout est possemus intelligere, & ei nomen proprium adaptare, uno nomine tantum eam exprimeremus: quod promittitur his qui eum per essentiam videbunt, Zach. ul. 9. *In die illa erit Dominus unus, & nomen eius unum.*

CAPUT XXXII.

Quod nihil de Deo, & aliis rebus univoce praedicatur.

1. Part. quaest. xlii. art. 5.

EX his etiam patet quod nihil de Deo, & rebus aliis potest univoce praedicari.

1. Nam effectus qui non recipit formam secundum speciem similem ei per quam agens agit, nomen ab illa forma sumptum secundum univocam praedicationem, recipere non potest: non enim univoce dicitur calidus, ignis a Sole generatus, & Sol. Retur autem quantum Deus est causa, forma, ad speciem divinae virtutis non perveniunt; cum divinis, & particulariter recipiant quod in Deo simpliciter, & universaliter, invenitur. Patet igitur quod de Deo, & rebus aliis nihil univoce dici potest.

2. Amplius. Si aliquis effectus ad speciem causae pertingat, praedicationem nominis univoce non consequitur, nisi secundum eundem essendi modum eandem speciem, vel formam suscipiat: non enim univoce dicitur domus quae est in arte, & in materia, propter hoc quod forma domus habet esse dissimile utrobique. Res autem aliae etiam si omnino similem formam consequerentur, non tamen consequuntur secundum eundem modum essendi: nihil est in Deo quod non sit ipsum esse divinum, ut